factum, iudicium. Comprehendit genus in maioribus, mores in aequita-
te, officium in sacerdotio, factum in mandato, in iustificati-
one iudicium. Factum est autem cum sacerdotio fungeretur zacha-
rias in ordine vicis suae ante deum, secundum consuetudinem sa-
cerdotii sorte exiit ut incensum poneret ingressus in
templum domini, et omnis populus foris orabat hora incensi. Videtur
hic sanctus zacharias summus designari sacerdos, et sic lectum est
de priore tabernaculo in quod semper introibant sacerdotes mi-
nisteria consummantes, uno tantum anni tempore introibant in tem-
plum; in secundo autem semel in anno singularis summus sacerdos non
sine sanguine quem offerret pro se et populi delictis. Hic est ille
summus sacerdos qui adhuc sorte quaeritur [al. quaerebatur], et verus adhuc
ignoratur [al. ignorabatur]. Qui enim sorte eligitur, humano iudicio non comprehen-
ditur. Ille ergo quaerebatur, et alius figurabatur; ille quaerebatur verus
in aeternum sacerdos, cui dicitur: Tu es sacerdos in aeternum, qui non hostia-
rum cruore sed proprio sanguine patrem deum generi recon-
ciliaret humano. Sed tunc sanguis fundebatur in specie, in
specie sacerdos ordinabatur. Hunc et veritas venit, relin-
quimus speciem, veritatem sequamur. Et tunc quidem vices erant,
nunc autem est perpetuitas. Erat ergo et certe erat cuius vices con-
gerebantur. Sorte ergo eligebatur ut introiret templum sacerdos.
Si ergo in typo nullus poterat testis adhiberi, quid aliud
significabatur nisi eum sacerdotem esse venturum, cuius sacrificium
non esset commune cum ceteris, qui non in manufactis templis sacrifica-
ret pro nobis, sed in sui corporis templo nostra peccata vacuaret.
Sorte ergo quaerebatur sacerdos; ideo fortasse et milites vestimen-
ta domini sortiebantur, ut quem in templo suo pro nobis dominus defer-
re sacrificium praeparabat, circa ipsum quoque sortis agitatio prae-
ceptum legis impleret, propter quod ait: non veni legem solvere
sed adimplere. Certe ut ipse esset qui exspectatus veteri